

DONATI SELECTA DE PARTICIPIO

de participio participium est pars orationis, dicta quod partem capiat nominis partemque uerbi. recipit enim a nomine genera et casus, a uerbo tempora et significationes, ab utroque numerum et figuram. participiis accidentunt sex, genus, casus, tempus, significatio, numerus, figura.

genera participiis accidentunt quattuor: masculinum, ut lectus; femininum, ut lecta; neutrum, ut lectum; commune, ut legens. nam omnia praesentis temporis participia generis sunt communis.

casus totidem sunt participiorum, quot et nominum: nam per omnes casus etiam participia declinantur.

tempora participiis accidentunt tria, praesens praeteritum et futurum, ut luctans luctatus luctaturus.

significationes participiorum a generibus uerborum sumuntur. ueniunt enim participia a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut legens lecturus: a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut lectus legendus; a neutro duo, [sicut ab actiuo] praesentis temporis et futuri, ut stans status; a deponenti tria, praesentis praeteriti et futuri, |ut luctans luctatus luctaturus. numerus participiis accedit uterque: singularis, ut hic legens, pluralis, ut hi legentes.

sunt multa participia eadem et nomina, ut passus, uisus, cultus, quae tamen et in casibus discrepant et de temporibus dinoscuntur. sunt participia, quae accepta comparatione fiunt nomina, ut acceptus incensus, acceptior incensior.